Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cepit. quoniam opera manuum solitudine solaretur. et digi
tis quidem corporis opus carnale. cogitatione uero mentis.
et animi intentione operaretur que dei sunt. cibum uero
in uesperam summere eum precepit. sed obseruare ne unquam
usque ad saturitatem ueniret. et precipue in potu con
firmans. non minus paque habundantiam fantasias
anime fieri. quam per uinum calorem corporis increscere.
Et ubi plene eum qualiter in singulis agere deberet
instruxit. in uico ei hoc est in tribus milibus a se cellulam
constituit. ibique eum exercere que didicerat iubet.
Ipse tamen frequentius uisitans gratulabatur. deprehendens
eum in his que sibi tradita fuerant. tota intentione et solli
citudine permanentem.

Quadam autem die cum uenissent ad sanctum antonium
fratres magni quidam et perfecti uiri. accidit et iam
paulum adesse pariter cum eis. Et cum sermo de rebus
profundis. et misticis haberetur. cumque de prophetis. et de sal
uatore plurima tractarentur. ex simplicitate animi
interrogat. si xpc prius fuerit an prophete. Beatus anto
nius uero cum pro eo quod tam absurde interrogauerat quasi eru
buisset. blando motu ut erga simpliciores sole
bat. silere. atque ~~adibere~~ abire eum iubet. Ille quia
omne quod cumque ab eo dictum fuisset tamquam preceptum dei
seruare instituerat. abcedens ad cellulam suam. tam
quam mandato accepto silentium gerere instituit.
nec omnino aliquid loqui. Quod cum comperisset an
tonius mirari cepit unde illi hec obseruantia pla
cuisset. quam a se sciebat non esse mandatam. Cumque ius
sisset eum loqui. et cur sile[illegible]ret indicare. dixit
ei paulus. Tu pater dixisti mihi. ut irem et silerem.